Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Novus XVII Inferioris Germaniæ Provinciarum Typus

Keere, Pieter

Amsteloda., Anno 1617

urn:nbn:de:gbv:45:1-315713

Visual Library



Farbkarte #13
B.I.G.
Black
g'Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue
Centimeters
Inches

Landesbibliothek Oldenburg

C12 295 3221

rum, Piſorum, Phaſeolorum magna abundantia. Nec deſunt Cucúmeres, Pepones, nec Melopepones alicubi. Reperitur & aliud quoddam ſeminij genus, quod *Boecken-yt* vulgo, Fagopyrum Iunio, ejuſdem fere cum Panico exotico coloris & magnitudinis, ſed forma triangulari & Panico Præſtantius. Colligitur hoc ubertim in uſum jumentorum & gallinarum: ſed neceſſitate exigente ſiunt ex eo cumpanis, tum & cerviſia. Fructus etiam omnis generis profert copia pene incredibili. Mala varia, Cydonia, Coronea, Chryſomela, Orbiculata, Muſtea, Pulmonea, Orthomaſtica, Petilia, Scandiana, Claudiana, Sanguinea, Sceptiana, Melapia. Quid pyra referam? Eorum multa genera, Volema Acidula, Amerina, Ampullacea, Cucurbitina, Cruſtumina, Dolobelliana, Falerna, Muſtea, Pomponiana, Signina, Regia, Oblonga & alia. Gignit inſuper magna copia Pruna, Ceraſa, Mora, Perſica & Ameniaca, Nuces Iuglandes, Avellanas, Meſpila, Vaccinia, ac nonnullis locis Caſtaneas. Rubia item tinctorum hic abunde colligitur, & per omnes Europæ oras cum ingenti lucro diſtrahitur. Fodinæ metallicæ magni momenti nullæ. Vites paucæ, niſi forte Lovanij & in tractu Lutzenburgico, e quibus vinum premitur licet exile & ſubauſterum: reliquis locis uvas habent menſis fecundis quam vino aptiores. Quod ad arbores, jucundum præbent adſpectum denſæ, bene ordinatæ. & fructibus onuſtæ: nec non materiem ad cotidianos uſus ſtructuraſque ædificiorum præbentes, omnis generis altiſſimæ & miræ craſſitiei, quæ hic ingenti numero reperiuntur: quales ſunt Quercus, Robora, Fagi, Fraxini, Cerri, Platani, Populi, aliæque complures. Paucæ ſunt Lauri, pauciores Cupreſſi, Abietes prorſus nullæ. Tiliarũ vero copia maxima, quæ vulgo *Linden*. Hæc forma & fronde ulmis ſimillimæ ſunt, niſi quod altiores, & citius creſcant, adeo quidẽ ut xvi aut xvii annorum ſpacio corporis craſſitudinem viri intra zonam adequent. Harum quoque in ædificando mediocris eſt uſus: fiunt quoque ex ligno carbones pulveri nitrato conficiendo idonei, faligneis aptiores. Inter lignum vero & exteriorem corticem reperitur lanugo quædam inſtar cannabis, unde reſtes & funes conficiuntur. Ejus vero folia quamvis tenera ac mollia, animalia omnia reſpuunt. Habet & magna copia in Arduennenſi præſertim Silva, Taxum, arborem venenatam. Fiunt ex ea potiſſimum haſtæ & arcus optimi. Et ex ejus ſucco venenum conficitur, quo ſe exanimaſſe Cattivulcum Eburonum Regem memoriæ prodit Cæſar. Eſt & aliud peculiare arboris genus, quod alibi haud facile quis reperiat, (Incolæ numero plurali *Abeelen* nuncupant) quæ ſpecies Populi alba videtur. Magna ejus in Brabantia copia ſuccreſcit, ejuſque ad res varias uſus, imprimis Bruxellæ. Olera vero atque herbę quarum in acetarijs, aliiſve menſarum delicijs uſus eſt: tum & varij generis bulli atque radices, pulcherrimæ hic ſunt & præſtantiſſimæ: omnigenæ inſuper roſæ ac flores, pulchritudini ſimul & virtute præſtantes. Neque deſunt quæſiti delicijs horti, & topiario opere lumina paſcentes. Paſcui autem agri bonitate cum alijs certare & verticem attollere

Animalium Varietas. Belgis licet. Unde Boves, Equi Oves, pecora, armentaque nuſquam terrarum felicius naſcuntur, aut aluntur: Equi imprimis grandes, robuſti, bello apti. Boves opimi, præſertim in Hollandia & Friſia, ubi unus Bos pondere ſœpiſſime mille ducentas libras excedit. Ludovicus Guicciardinus homo Italus, cui noſtra Belgica ob accuratiſſimam veriſſimamque deſcriptionem plurimum debet, refert. Comiti Hoochſtratẽſi Mechlinię Bovem dono datum, cujus pondus fuerit bis mille quingentarum vingiti octo librarum; quem is propterea depingendum in Palatio ſuo curavit. Laxos capaceſque uberum Vaccarum ſinus, lactiſque copiam quid ego commemorem? Conſtat namque aliquibus Hollandiæ partibus eas æſtivis diebus, quatuor & quadraginta lactis heminas in mulctralia refundere. Multa hic ne prolixior ſim, prætereo. Nulla in hiſce regionibus, ſaltem in frigidioribus terræ partibus, animalia venenoſa. Nullæ Viperæ, Aſpides, aliave ſerpentium Italiæ familiarium genera. Non Lacertas, non Stelliones, non Scorpios, aut id genus beſtiolas hic invenire eſt: niſi ſi æſtus forte & calores præter modum ferventes, ac plus ſolito diuturni. Tunc enim caſu nonnumquam fit, ut aliquid ejuſmodi compareat, at ineffícax tamen ut plurimum, atque innoxium. In Hollandia vero, Zelandia, alijſque ubi uſtilis ille cæſpes efforditur, partibus, & in vaſtioribus ſilvis, Colubri quoddam genus invenitur, Aſpidi non abſimile, *Adderen* vulgo nuncupantur, venenoſum admodum & malignum. Bufones preterea & lacertæ quædam aquaticæ, veneno imbuæ, non deſunt. Cuniculorum vero ingentem multitudinem alit paſſim Belgica. Leporum quoque ibidem non infelix proventus eſt, nobilitatis præcipua venatio. Cervorum etiam & Damarũm magna frequentia. Nec deſunt alibi Capreoli, Apri, Meles, ſive Taſſi, & ejuſmodi. Nec volucres varij generis marinæ, ripariæ, campeſtres, domeſticæ abſunt. Cygnorum præcipue quibuſdam regionibus ingens & incredibilis in rivis & ſtagnis multitudo: Anſerum, Anatum infinitus numerus, tum cicurum, tum ferarum. Sunt & Mergi, Fulicæ, Perdices, Columbæ, Pavones, Vrogalli, Grues, Turdi, Sturni, Lari, Vanelli, Turtures, Coturnices, Phaſiani, Ciconiæ, Ardeæ, Accipitres, Vultures, & Scolopaces, quas *Ruſticulas* Plinius, *Ruſticas Perdices* Martialis vocavit, vulgus *Sneppas*. Harum capturam cum ave ipſa eleganter a Nemeſiano expreſſam non poſſum hoc loco non adſcribere.

Præda eſt facilis & amœna Scolopax,
Corporenon Paphijs avibus majore videbis.
Illa ſub aggeribus primis, qua proluit humor,
Paſcitur, exiguos ſectans obſonia vermes:
At non illa oculis, quibus eſt obtuſior, eſſa
Sint nimium grandes, ſed acutis naribus inſtat,
Impreſſo in terram noſtri mucrone, ſequaces
Vermiculos trahit, atque gula dat præmia vili.

Sunt & Gallinæ Africanæ, aliæque, Galli Gallinacei, Capones, aliæque ſpecies plurimæ tanta omnino copia, ut non ad uſum tantum, ſed ad luxum ſufficere hominibus poſſint. Nec culinis modo idoneæ volucres, ſed etiam quæ delectationi ſerviunt, quarumque concentus gratiſſimus, Alaudæ præcipue, quarum perpetuo cantu majore anni parte totus ager perſtrepit, non ſine ſingulari voluptate audientium. Eſt & alibi Luſcinia quæ

Vocum diſcrimina mille,
Mille poteſt varios ipſa referre modos:

Merulæ, & aliæ. Sed hæc hactenus: ad alia pergamus. Sunt in hac Belgicæ parte quam hoc loco deſcribimus Provinciæ xvii quas Carolus V Imperator omnes poſſedit: in quibus ſũt Ducatus iv *Brabantiæ, Limburgi, Lutzenburgi & Geldriæ*: Comitatus vii, *Flandriæ, Artheſiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci & Zutphaniæ*. Marchionatus unus *Sacri Imperij*: Dominia v, *Friſiæ Occidentalis, Mechliniæ, Vltrajecti, tranſiſalanæ*, & *Gruningæ*, regiones cultiſſimæ, ut in quibus (teſte Ludovico Guicciardino) numerantur urbes foſſis & vallo munitæ ccvii. Pagi autem ſex mille, trecenti atque amplius. preter Arces. Monaſteria, villas aliaque ædificia ſingularia, quorum numerus pene eſt infinitus.

Imperiũ Majorũ. Atque hæc omnes Provinciæ quomodo conjunctæ ſint, inque unum corpus coalverint, quomodo item ad Carolum V & filium ejus Philippum devolutæ ſint, operæ pretium eſt cognoſcere. *Ludovicus Malanus* Comes & Dominus Flandriæ, Niverniæ, Raſtellæ Salinarum, Antverpiæ, Mechliniæ: poſt matris vero obitum Comes Burgundiæ & Artheſiæ uxorem duxit *Margaretam*, filiam Ioannis Ducis Brabantiæ, quo conjugio ipſe Dux Brabantiæ, Limburgi & Lotharingiæ factus eſt. Ex hac unicam filiam genuit *Margaretam*, ditionum patriarum hæredem: quæ anno cıɔccclxix Gandavi nupſit *Philippo Valeſio* Duci Burgundiæ, cui ob virtutẽ ſingularem cognomentũ fuit *Fortis* ſeu *Audax*.

BELGII SIVE INFERIORIS GERMANIAE DESCRIPTIO GENERALIS.

BELGICAM VETEREM Belgarumque Veterum mores dedi; venio nunc ad Novæ, quæ xvii Orbe toto notiſſimis continetur Provincijs, Generalem Deſcriptionem. Ut autem ab ipſo nomine ordiar: Partem Europæ, quæ hoc tempore *Germania Inferior*, *Belgium* dictam Cæſari nonnulli volunt, in quo ſcribit ſe tres Legiones collocaſſe, Hircius quatuor. Marlianus tamen & Glareanus cum Guicciardino, pro urbe non pro regione accipiunt, quam alij *Beavois* in Gallia; alij *Bavais* in Hannonia interpretantur. Unam urbem capacem eſſe iv Legionum fortaſſe vix credet Vegetius. Ipſe etiam Cæſar ſub Belgio plures civitates comprehendi lib. v docet; ubi dicit, *Maritimam partem Britanniæ ab ijs incolis, qui prædæ ac belli inferendi cauſſa ex Belgio tranſierant, qui omnes fere ijs nominibus civitatum appellantur, quibus orti civitatibus eo pervenerunt*. Non tamen ſub Belgio totã Belgicam comprehendit: cum Morinos, Nervios, Eſſuos, Rhemos & Eburones, quos omnes ipſemet (ut & cæteri probati ſcriptores) alijs in locis, Galliæ Belgicæ populos nominet. Luce ergo clarius eſt, Belgium Belgicæ partem eſſe, quæ autem illa fuerit, non æque clarum. Non eſſe vero circa Bavacum (ſive *Bavais*) Hannoniæ, ut Leodio videtur, hinc conſtat, quod hoc in Nervijs ſitum, quos ipſe Cæſar a Belgio excludit: nec circa Bellovacos, ut Goropius cenſet. Abrahamus Ortelius eam Belgicæ partem credit, quæ mari vicinior eſt, & verſus Septemtriones exporrecta, quæq; Hollandiam, Zelandiam, Flandriam, Geliriam & Cliviam complectitur. Sunt tamen, inter quos Glareanus, qui Cæſarem putent *Belgium* pro Belgica, ut Livius Samnium pro Samnitium regione, uſurpaſſe. Hanc vocem nonnulli ab urbe hujus regionis celebri, ut ſupra diximus, derivatam notant. Alij ſic appellãtam volunt a patrio ſermone *Belgen*, ſeu *Welgen*, quod peregrinum ſignificat. Hadrianus Iunius *Belgarum* appellationem ad nationis ferociam referendam autumat, ut ſint *Belgæ* quaſi *Volgæ*, hoc eſt atroces & violenti: niſi mavis, inquit, *Belgas* mutatione ſecundæ vocalis in primam, dici velut *Balgas*, a dimicandi pugnandique ardore ac ſtudio: eſt enim *Balgen*, conferere manus, ac confligere. *Germania Inferior* nuncupatur hodie, ſed extra veterum tamen limitationem, qui præter Friſiam, & alia quædã paucula, omnes haſce Provincias Galliæ Belgicæ adſcribunt: *Germania* quidem: quod lingua, moribus, legibus & vitæ inſtitutis parum ab Alemannis & reliquis Germanis diſcrepet. *Inferior* vero, quod Mari proprior ſit reliqua Germania, & Superioris Germaniæ reſpectu campos, agroſque ſitu humiliores depreſſioreſque habeat. Vulgo *Nederlant*, Gallis *Le Païs Bas*. Appellatur quoque per univerſam fere Europam *Flandria* σωνεκδοχικῶς vel propter illius regionis potentiam & ſplendorem præ reliquis partibus: vel propter prima & celeberrima illic commercia, & nundinas Brugenſes vetuſtiſſimas, notiſſimaque emporia: uel denique quod Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ & Italiæ finibus propior, nota magis & divulgata ſit. Nomen brevibus expoſui, ſuccedunt quantitas & qualitas. Quantitatem explicabo in finibus, & circuitu. Quod ad fines: *Germaniæ Inferioris, Belgij* vel *Belgicæ* (nam voces has ἀοριστῶς uſurpabo) termini, ab Aquilone Oceanus: a Meridie Lotharingia, Campania & Picardia: ab Ortu Rhenus & Moſa fluvij: ab Occaſu mare, & Picardia. Vicinos autem habet hos Principes, Comitem Friſiæ Orientalis, Epiſcopum Monaſterienſem, Archiepiſcopum Colonienſem & Regem Galliæ. Atque hic quidem ſitus, ſiquis rite perpendat, majori præcipuarum Europæ regionum parti, peroportunus eſt. Nam ad Septemtrionem non niſi quinque vel ſex dierum itinere diſtat ab Dania, cũ qua plurima Belgis intercedunt commercia: Ad Meridiẽ Franciæ Lotharingiæq; perpetuo nexu adhæret: ad Ortum terminatur Germania: ad Occaſum vicinam habet Britanniam, in quam paucarum horarum ſpatio trajicitur: eadem fere Hiberniæ ratio. Norvegiæ, inſuper, Sueciæ, aliiſque ad Septemtrionem Oceano adjacentibus terris, navigationis beneficio, ſitus hic commodiſſimus: ſi quidem bidui ſpatio, ex Hollandia ſolvens navis, recto rurſu & valido vento in Norvegiam appulit. Hiſpaniæ quoque & Luſitaniæ non minus eſt oportunus. Oliſipone namque decem, & eo minus, dierum itinere in haſce oras trajiciunt: ex Hiſpania vero ſex; octo, decem, duodecim, quindecimve dierum iter eſt, pro portuum unde ſolvitur, qui plures & varie ſparſi ſunt, ratione. Circuitus autem Belgicæ computatis & comprehenſis omnibus huc ſpectantibus (calculum ſubducente Guicciardino) eſt cıɔ plus minus milliarium Italicorum, vel trecentorum & xl Milliarium noſtratium. Hic igitur eſt ſitus ſive quantitas: ſequitur jam nunc qualitas, cujus cauſſa plurimum Clima. Subeſt Germania Inferior medio ſeptimi, quod per Boryſthenem dicitur, totique octavo Climati, inter Gradus Longitudinis quidem xxii cum ſemiſſe & xxx: Latitudinis autem inter L & Lvi. Maximus dies æſtatis ad medium Climatis horarum plus minus xvi cum dimidia, & ad initium noni horarum xvi cum tribus quartis. Continet vero omnes Parallelos qui ſunt inter xvi & xxi. Aer in Belgio humidior & craſſior eſt. ſed tamen qui incolarum ſanitati conducat, digeſtioni admodum propitius, ac generandis cujuſcunque generis rebus vel in primis idoneus. Æſtates jucundæ, peramcenæ, & temperato calore tolerabiles: non fervent æſtu, non abundant Muſcarum Culicumque examinibus, excepta Zelandia, ubi eorum magna copia: nõ tonitru quatiuntur: terræmotus vero rariſſimi: quod humiditas cœli, & ſoli aquis vicini humiditas id non permittant. Hiemes longæ, ventoſæ; Spirante Aquilone vel Euro, ſubitum excitatur & arctũ gelu: Auſtro vero & Zephyro tepeſcit aer, friguſque in pluvias convertitur. Ager multis locis fabuloſus, ut in Flandria Teutonica, & Brabantiæ pluribus locis. Univerſim tamen (ſed pro regionis cujuſque genio, parcius, largius) felix atque fœcundus eſt, imo tritici aliarumque frugum alibi feraciſſimus: ut in Flandria Gallicana, Artheſia, Hannonia, & Zelandia: quin & Gelria frages ubertim gignit. Abundat itaque Frumento, Hordeo, Siligine, Avena, Cannabi, Lino. Et inter Legumina, Faba-

Regia. Nomina & unde deducta.

Aeris temperies.

Soli Fertilitas.

ALBERS 295
karten 0048

Landesbibliothek Oldenburg